

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Imperatoris Constantini, Constantini filij, ad Alexandrinos epistola. Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

214

# THEODORITI

## EPISCOPI CYRI ECCLE-

### SIASTICAE HISTORIAE

#### Liber Secundus.

*De sancti Athanasii reditu.* CAP. I.



Iuinus ille Athanasius biennio integro & mensibus quatuor Triueri cōmoratus, reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore Constantinus filius Constantini Magni natu maximus, qui Galliae versus occidentem imperiū obtinuit, literas ad ecclesiā scripsit Alexádrinam, quæ ita se habent.

*Imperatoris Constantini, Constantini filij, ad Alexandrinos epistola.* CAP. II.

*Constantinus Cæsar populo catholicæ ecclesiæ,*  
quæ est Alcxandriæ S.

Vestræ prudentiæ minimè obscurum esse arbitror, quid causæ fuerit, cur sacrosanctæ legis, & doctrinæ euangelice interpres Athanasius à patre meo in Galliam relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborum quorundam peruersitatem (nam agrestis infestorum & crudelium hostium immanitas eius capiti periculum intenderat) vulnera planè insanabilia sustinere coactus fuisset. Quocirca ut hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex illorum quasi fauibus, qui ei struebant insidias, ereptus est, iussusq; ut sub mea ditione vitâ degat, quo nō aliter ac si in ea civitate versaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitâ necessariis (licet eius eximia virtus diuina ope freta grates asperioris fortunæ ærūnas pro nihilo putet) abundare circumfluereque possit. Quamobrem cum pater meus Constantinus Augustus, dignus sanè ob res præclaræ geltae

## THEODORITI HISTOR.

gestas, qui sempiternæ memoriæ commendetur, haberet in animo, episcopum illum ad propriam sedem locumq; vestræ cum primis sanctimoniaræ gratia restituere, & morte, vt fors humana fert, antè occupatus occumberet, quād id, quod erat sibi in optatis, explere posset, consentaneum certe existimauit, vt ipse institutum tam pij Imperatoris mihi exequendum susciperem. Quāta autem obseruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simul atque in vestrum conspectum venerit, facile intelligitis. Nec mirum sanè, me istud humanitatis officium erga illum declarasse, nam tum quædam vestri desiderii, quasi effigies, tum grauis hominis persona ante oculos mentis obuersata, animū meum ad hoc ipsum commouit, vehementerq; cohortata est. Deus vos, fratres mei charissimi, sua prouidentia diu seruet incolumes. Cum ipsis Constantini literis sanctus Athanasius redit Alexandriam. Quem omnes tum ciues, tum rustici, tum nobiles, tum plebei, cupidè libenterque excipiunt, exceptis solum Arianis, quibus eius reditus molestiae & angori fuit. Quapropter Eusebius, Theognis, & quotquot eorum factioni adhærebant, suas machinas ad Athanasium oppugnandum de integro admouere, & calumnias in aures Constantii Imperatoris, qui filius Constantini minor natu fuit, contra eum callide infundere cœperunt. Sed qua ratione hoc factum sit, & quemadmodum iste Imperator à vera doctrinæ apostolicæ regula deflexerit, deinceps commemorabo.

*Quomodo Constantius Imperator à recta fide abducens fuerit.* CAP. III.

**C**Onstantiæ Licinij coniugi, & sorori Constantini, magna intercessit familiaritas cum presbytero quodam Ariana labe infecto: qui tametsi erroris morbum, quo laborabat, non palam ostendit, tamen assiduè dum cum illa sermonem conferebat, dixit Arium falso accusatum esse. Huic Constantiæ frater eius Constatinus Imperator multo omnium illustrissimus, post mortem Licinij, viri sui impij, omni cura ac studio prospexit, eamque ex viduitate nihil incommodi capere passus est. Quinetiam cum mortem iam esset obitura, ei præsto fuit, neque ullum officij genus, quod